



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica decima octava

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

dulcius?) & non impetrat. Quanta injustitia! ingratitude quanta!

Instructio meritoria.

Hæc scimus? hæc audimus? hæc experimur? cur patimur? amans pro amante vigilat, & nos pro Dei honore. Itaque pro compensatione neglecti, & contempti Dei tam boni ter veniamus ad Sanctissimum Altaris Sacramentum, culpas ibi deprecemur etiam aliorum, & in satisfactionem expansis brachiis S. Rosarium addamus ordinario, ad quodlibet *Pater* ingemiscetes: *Amor! & tu non amaris?*

Dominica XVIII. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quid attentat hodie Gerasenorum stulticia? rogant Christum, *ut transfret à finibus eorum.* Nescivit hic ingratus populus, nec agnovit Dominum suum; ideò oblitus est Creatoris sui. Dilecte fili! erubescat ad hæc genuinus animus! transeant à nobis vana, & stolidi mundi desideria, ut teneamus, quæ

quæ Christi Jesu sunt, & perpetua. *Hic ergo spes! si cupimus: Beati sumus. S. Xav. Instructio meritoria.*

Quò vitiò plerumque cor clauditur Christo? intemperantiâ, & superfluitate in cibo, potu, & somnò. Est, ut dicimus, nobis Christus super omnia. Si ita: Ergò & nostra impendamus studia, ut vel hoc mense quoad temperantiam, & sobrietatem insignia exhibeamus opera, & aliis exempla demus illustrissima. Specialiter Feriam IV. VI. & Sabbathum abstinentiis sanctificemus. Sunt dies Redemptionis nostræ! recordemur!

II.

Flli! ecce turbæ cingunt undique Christum, & glorificant eum. Quæ causa? viderunt enim prodigia. Sed ò debilem fidem! veniet tempus, & clamabunt: *Crucifige! Crucifige!* ita habet stylus sæculi. Dum nos felices, honorat; dum inter adversa, refugit, & nauseat. Dilecte! vide, cui fidas. *Quicquid dicit, promittit, & consulit mundus, falsum, & dolosum est.* Didacus stella.

In-

Instructio meritoria.

Pro tentatis, captivis, & derelictis visitemus Deum Eucharisticum in Ecclesia, utque mittat deforsum lumen Divinae consolationis, & eorum corda roboraret donò Christianae patientiae Rosarium offeramus de 5. Mysteriis Dolorosis. Hic stylus Christianae pietatis est.

III.

Fili! nos tangit hodiernum Evangelium, dum quaerit? *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Scimus, quam noxia, quam inutilia, quam & indecentia sint, quae nostris occurrunt sensibus, & cogitationibus. Interrogabimur ideò & in tremendo iudicio: *Quare cogitasti hanc rem?* 2. Reg. 14. & quid respondebimus? haud poterimus praetimore, & tremore. Nam *abominatio sunt Domino Deo cogitationes male.* Prov. 15.

Instructio meritoria.

Cogitationes pravas sentire equidem peccatum non est; sed in has consentire. Impugnamur ab his gravius, & instantius? statim flectamus, & cogitationes
pessi-

142 Dominica XIX. post Pentecost.

peffimas in corde Jesu, & Mariæ abscondamus subjungendò *quinque Pater & Ave.* Si autem Officium de Eorum corde ad manus, devotè persolvamus, Inde nobis omne lac, & mel. Gustemus! probatum est.

Dominica XIX. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

QUæritur de veste nuptiali? sine hac non admitteremur ad nuptias. Induimus, si à benè cœptis nunquam desistamus. Inveniet sponsum, qui non amittit vitæ sanctæ propositum. O quid nobis S. Chrysostomus: *Si à cœpto bona vitæ cursu defecerimus, totum perdidimus, totum corrupimus.* Hæc verò perditio ad quid?

Instructio meritoria.

Sunt autem plerumque hominum dicta, aut adversa, quæ nostra immutant proposita. Ah! verbum! heu! adversitatis umbra poterit talia in Dei famulum? quodcunque horum contigerit hodie nobis, per manus omnium SS.

Mar-